

H V D L

1 5 8 9

D. g. 130

Geog.
~~N. 3~~ 238
4^{1/2}



1
7

BINÆ LITERÆ
NAVARRENI REGIS,
DE CAUSIS PRÆSENTIVM
MOTIVVM, ET DE RATIONE COM-
ponendi eos, iustaq; pacis constituenda in
regno Gallia:

VNÆ,
AD SUPREMAM PARISI-
ensem Curiam: Alteræ, ad Theologos
Sorbonæ Parisiensis scriptæ.

Item
LITERÆ PHILIPPI MOR-
nei Plessiaci, de eodem argumento datæ ad
Regem Gallia.



M. D. LXXXVI.

IN V. A. R. E. H. N. I. R. E. G. I. S.
DE C. A. V. S. I. S. T. R. A. S. S. E. R. T. I. V. M.

V. N. E.

M. D. C. LXXVII

GENEROSO ET NOBILI
VIRO, D. IACOBO SEGVRIO, BA-
RONI PARDILIANO, LEGATO NA-
varreni Regis, F. I. B. Salutem.



VVM MIHI NVPER, GENERO-
se Seguri, exemplum literarū quidam amicus
exhibuisset, quas Rex Navarri Serenissimus
ante duos menses Lutetiam misit, gratulatus
sum egomet mihi certis nominibus, & Eccle-
siae Dei. Ecclesiae gratulatus sum, quòd hoc
calamitoso tempore videam non deesse virorum Principum of-
ficia, qui cūm ad misera & afflicta Ecclesiae membra pie respici-
unt, tum verò Ecclesiae toti consulant religiosissime, vt partes
eius quas tam miserè conscidit Satan, aliquando tandem Chris-
tiana charitate consuant. Atq; vt inam pietas, charitas, huma-
nitas apud vtrasq; partes tantum possent, quantum ad stabiliens
dam vnionem, non ad distractionem augendam opus esset: vti-
nam aut non essent adeò turpiter exulcerati multorum animi,
qui de coniunctione desperantes oppugnant coniunctionis vias:
aut si exulceratos oportet esse, id saltem laborarent ne vlcerosi
animi in scriptis ipsorum putidè suppurarent. Istitis enim modis
plurimum accidit, vt quae res citra impedimentum in omnes par-
tes probari possent & ad vnionem conciliandam pertinere, ea læ-
dant aduersarios, pacis occludant viam, neminemq; adiuuent.
Mibi verò vt gratissimum hoc scriptum acciderit, faciunt quàm
plurima: inprimis quòd iustissimam occasionem habere visus
sum explicandi animum, & prestandi officium meum, quemad-
modum & communi causa, & priuata ac singulari quadam ob-

strictus sum. Commune est, quod eidem religioni, & paci eidem studeo, quam meo ipsius sanguine (si posset fieri) paratus essem redimere. Singulare verò est maiorum meorum exemplum, qui & operam suam Navarrenis Regibus nauauerunt, & beneficia ab eis acceperunt. Auis enim meus, quum Ferdinandus Rex Hispaniæ fretus anathemate Iulij 2, Nauarricum agrum invasisset, ad Pompelonem fortiter militauit: pater verò & lectissima femina Margaritæ Reginae Navarrenæ, sorori Francisci primi Regis officiosè ministravit, & beneficia non mediocria ab ea consequutus est. Qui partim pio religionis studio, partimq; falsis (vt erant tempora) accusationibus oneratus, quum patria, bonis, honoribusq; spoliatus esset, per fugium habuit in comitatu eius ante tres & quadraginta annos, deinde verò patriæ & honoribus fuit eius opera beneficioq; restitutus: plura etiam consequuturus, nisi modestus parentis mei animus maluisset in eo honorum gradu consistere in quo exstinctus fuit, quàm ad altiores contendere. Etsi autem leue, ac potius nullum est istud officium meum, quod nescio quis è triuiali schola fortè audeat suscipere: tamen quia hoc quoq; pertinet ad legationem tuam, vt consilia, causa, factaq; Regis Navarreni ad bonum & pacem publicam innotescant; visum est istud munus quantulumcunq; est ad te allegare: Quo munere tu quidem vreris (si placet) apud alias gentes, tanquam subsidio legationis tuæ: ego verò apud omnes, velut certissimo sanctissimoq; documento studij & voluntatis meæ. Vale.

LITERAE NAVARRENI
REGIS, AD AMPLISSIMUM SENA-
TUM PARISIENSIS CVRIAE.



OMINI, EGO VOS IPSOS o-
pto & appello iudices eorum omni-
um quæ gesta sunt ab eo tempore, ex
quo Gallia nostra his postremis mo-
tibus diuexatur. Etenim videre po-
tuitis quàm varijs modis hostes hu-
ius regni & mei fecerint periculum patientiæ meæ: vi-
distis etiam quantum apud me potuerint reverentia
in Regem & publicum regni bonum, vt in meo do-
lore iustissimo meipsum continerem. Interea verò is
fuit eventus huius administrationis meæ, vt hostes
Regis & regni contra me autoritate & armis fuerint
confirmati: quam grauiissimam iniuriam non dubito
quin agnoscatis inferri mihi. Itaq; meam patientiam
atq; obsequium eò cogi video, vt rebellionis istorum
det pœnas, & oportere vt ex domesticorum arca sa-
tis fiat exteris, & famulis de filiorum fam. peculio,
Hoc autem Domini (ne quid dissimulem, sed ex ve-
ritate quod res est proloquar) mihi est acerbissimum.
Ego verò fretus sum protectione Dei, iudicio Galliaë,
vestris testimonijs, & autoritate Regis Domini mei
(de hoc enim planè sum confirmatus) sinceritatem
meam approbante. Dolet mihi hoc regnum exagita-
ri tam miserè: sed novit Deus qui in culpa sint, eo-
rumq; pœnas persequuturus est. Dolet mihi infesta-
ri popu-

si populum calamitatibus : sed quis pacem de indu-
stria conturbauerit, constat : constat, quanta me pre-
mat necessitas vt mihi caueam. Frustra vobis, Domini,
in mentem revocaturus essem conditiones antè
à me propositas. Vidistis, & nouistis optimè an non
dignæ essent quarum haberetur ratio. Vnum restat
vt vos omnes orem pro ea fide & religione iuramen-
ti quo obstricti estis in Galliam, vt cōspirationi quam
videtis factam ad eversionem illius, vestra obsistat au-
toritas. Saltem exitiali huic instituto ne adeste auto-
ritate vestra : saltem votis vestris favete ijs qui vitam
suam sunt parati profundere ad amoliendam func-
tam hanc dissipationem regni. A vobis nihil cupio
aut postulo, quàm quod iudicaturi estis ex vestra
ipsoꝝ conscientia. Si causæ æquitas est à me, appro-
betis postulo: sin autē secus, statuatis, Domini, quod
ex officio vestro & huius regni vsu fore putabitis. Te-
stem Deum appello, me Regi Domino meo esse &
fuisse fidelem: à me diligi Galliam: à me viros bonos
& virtutis amantes coli qui defendunt Galliam: à me
acerbissimum dolorem percipi ex confusione & cala-
mitate, quam video in omnem statum irruere. Hunc
oro, Domini, vt vobis, quos semper esse duxi Gallia
columnina, adsit virtute sua : vt rebus ita nutantibus
reportare possitis laudem quam sua virtute sæpè
maiores vestri pepererunt, quòd huius regni corpus
opera vestra stabilitum confirmatumq; fuerit. Hunc
quoq; spero eam gratiam erga me collaturum esse,
vt ego in hac causa Regi Domino meo seruiam, &
mihì boni quiq; Franciamantes regni tam bene præ-
stent

stent officium suum, vt opera mea exitium hostium
suorum breui, & subditorum suorum tranquillitas
tem visurus sit: quam ad rem certum & deliberatum
est mihi sanguinem & vitam meam exponere. Hic
igitur, Domini, finem scribendi faciam, Deum orans
vt vos in fide clientelaque sua seruet incolumes. Ex
Marfano monte, vndecimo die Octobris 1585.

Amicus vester studiosissimus
atq; certissimus Henricus.

LITERAE NAVARRINI
REGIS, AD DOMINOS D. THEOLO.
GICAE FACULTATIS IN COLLE
gio Sorbona.

DERLIBENTER VOBISCVM,
Domini, acturus sum de ijs rebus qua
agitantur in hoc tempore: qui id vide-
ri à vobis profite mini, ne quid Ecclesia
capiat aut patiatu r detrimenti. Ani-
maduertistis proculdubio postremos
istos hominum quorundam motus, argumētis mul-
tis longè diuersissimis excitatos: etsi ea tandē omnia,
resectis & putatis cæteris, in vnum fuerunt collata:
quod est vt de integro Catholica Ecclesia instaure-
tur, ac propterea profligentur ij quos esse conten-
dunt hæreticos. Itaq; tanta fuit vis & quidem armata
istorum,

istorum, vt subsequutum fit edictum quàm proximè
accedens ad voluntatem ipsorum. Dubitare autem
non possum, ac ne velim quidem, quin pro vestra
prudencia noueritis istos aliò spectare, quàm præ se
ferunt sermone suo: nempe vt ad arma ruentes ob-
ducta religionis specie, illis abutantur ad everfionem
eorum qui primarij sunt in familia Francorum regia,
& viam sibi munitent ad regni occupationem. Id ve-
rò in hac ipsa religionis causa iudicari à vobis postu-
lo, vtri plus commoditatis habeant, egone an illi, ad
Ecclesiam recolligendam in vnum, & tollendum
schisma ex quo tam diu laboramus. Fui in ea religio-
ne educatus, quam sanctam esse ac veram existimo:
hanc me ex animo profiteri vt amplius doceam non
est opus. Alioqui tam multa mala fuisset effugitu-
rus commodè, quæ me oportuit perpeti, & in quibus
nemo à natura voluptatem capit: neq; verò de-
futura mihi fuisset ratio vtendi Regis gratia & populi
benevolentia, quam secundùm Deum vtilissimam
mihi esse novi, & ante omnia expetendam. Quæ cum
ita sint, Domini, illud profectò est acerbissimum, &
grauissimum esse confido iudicio vestro, si hoc vno
argumento & sine alia specie religioni meæ renun-
ciauero, & vim meæ ipsius conscientia atq; animæ
attulero. Quòd si tam miser & abiectus essem, vt hac
via discederem ab officio meo, optimo iure in repre-
hensionem inciderem per exiguam conscientia: opti-
mo iure diffideretis mihi ad omnia, si quidem illud
non præstarem quod teste mea ipsius anima Deo me
debere iudico. Quicquid autem cum ratione à me
possunt

possunt desiderare boni, id ipsum (nisi me animus fal-
lit) iam ultro obtuli, & dies adhuc singulos offero. Id
autem est, Domini, vt instituar libero legitimoque
Concilio, vbi controuersię in religionis causa excita-
tę bene ventilentur decidanturque, & acquiescam iis
quę in eo fuerint constituta. Quam viam (vt optimę
nouistis) Ecclesia post omnem hominum memoriã
tenuit, Regesque, & Imperatores quoque sapientissi-
mi in causa simili: quam viam ipsi quoque, Domini,
consuluitis Regibus maioribus nostris: qua via po-
tuistis Ecclesię Gallicanę priuilegia & iura à quã
plurimis vsurpationibus defendere: quam denique
viam Ecclesia florens, vt quum maximę, nũquam re-
cusauit, vt pauculos conditionis infimę, adeoq; ho-
minem vnicum, in suum gremium reciperet; quamq;
hoc tempore foret iniquius ab ipsa rejici, aut etiam
deferri, quum vita & salus agitur tot mille animarũ,
opidorum, ampliarum prouinciarum, summorumq;
hominum innumerabilium, primariorumque Prin-
cipum de regali stirpe, & ad culmen regni proximę
pertinentium: quibus neque vis sine grauissimis dif-
ficultatibus, neque exitium sine euersione regni affer-
ri potest: & qui ex contrario si ad mutandam senten-
tiam ratione adducẽtur, occasionem præbere possint
qua firma pax in regno statuatur præiudicato suo, &
Ecclesia Catholica in vnum consolidata coalescat, fe-
liciusque exoriatur seculum non haic regno solũ
(quod bonum foret inæstimabile) verũ etiam toti
Christiano orbi & Europę ipsi, quę tanti tamque
potentis regni erumnas & calamitates nõ potest non
B perfea-

persentiscere. Atque hoc quidem Regi Domino meo obtuli, quod vobis, Domini, hac mea epistola placuit exponere, & cuius vos appello testes apud omnes quorum interfuturum est: vt cum ijs qui hodie viuunt, tum posteris sit notum, nō stetisse per me quo minùs hoc regnum tranquillitate fruatur, aut Ecclesia Dei ad vnionem, pacem, & quietem pristinā reuocetur.

Quod autem adfertur in me, hæreticum esse me, vestrum est docere homines istos, quod à vobis etiam didicimus, inter hæresin & errorem magnam esse differentiam: nec omnes eos qui hæresin colunt esse cōtinuò hæreticos. Hæretici propriè dicuntur, quos agunt ambitio & pertinacia. Hæc autem in me non potest competere, quem quisquam vt institueret, nunquam adhuc fuit laboratum: sed contrà omnibus modis data fuit opera vt euerterer, nec rationis loco adhibitur quicquam præter violentiam. Illa nō potest mihi æquius objici, qui à latissima illa discessi via amplitudinis quæ mihi per catholicam religionē Rom. patuit, & pede verso iniui persecutionis & male gratiæ viam, persistans in ea religione quam omnes dicunt & ego reformatam duco.

Verùm tamen vt demus sic esse: at contra errorem & hæresin Concilia haberi in Ecclesia solent: consultationes fiunt, vt curetur æger. Nouacula & candente ferro tum demum chirurgus vititur, quū infirmiores sunt emplastrorum vires. Manifestū sanè est perturbationis argumentum, si conuersionem à subuersione, instructionem à destructione inceperis, & ab
exte;

exterminatione ac bellorum clade ea quæ fraternis officijs, monitis, & lenitate oportet procurari.

Neque verò satis est, si hoc obtenditur, Concilium Tridenti fuisse habitum, in eo damnatam fuisse religionem quam colo, & hæresin appellatam. Quale istud Concilium fuerit, nouistis Domini: minimè à vobis probatum esse: Regnum totum, clerum, & Parliamentum summæque Consilia regni, omnes aduersus Concilium istud protestatos esse. Deinde non estis nescij, etiamsi legitimè fuisset habitum, id tamen non fore impedimento vt conuocetur alterum, præfertim si agatur tantorum hominum tantique regni salus & restitutio. Contrà autem didici, in œcumenico Basiliensi Concilio fuisse constitutum, vt decimo quoque anno Concilium habeatur ad impediendos errores qui in Ecclesiam possunt irrepere: quanto æquius ad eos qui iam introducti fuerint eximendos? Hic ergo, Domini, estote iudices, vtra pars plus æquitatis habeat, vtram in hac causa spectari magis oporteat, vtra ostendat vias huic regno magis salutareis, & Ecclesiæ commodaturas. Vt filius familiars vi exturbetur religionis specie, postulat extraneus, qui iam diu hanc tramam contexit vt in locum illius irruat. Ego verò, Domini (etsi iniquissimum est vt cum eis comparer, qui nullum planè ius habent cognoscendi de rebus & administratione mea) nihil aliud optavi, nec opto, quàm vt audiar in causa mea, Cōcilio instituar, & meliùs agam si meliùs edoctus fuero. Vtrum iudicatis, obsecro, ex æquitate agere? Quorsum igitur vniuersum hoc regnum inflammari Quis enim dubio

tet vnam aliquam ex istis rebus eligi à vobis oportere? aut ciuile bellum, aut Concilium? vt pars vna regni huius ab altera profligetur, aut vtraque in vnum compingatur & consistat simul? quæ res proculdubio maximi momēti in toto Christiano orbe ad eundem euentum futura sit?

Testor autem vobis, Domini, vt finem quem cupio explicem, me paratum esse Concilio acquiescere, paratum esse in eo audire Ecclesiam: itaque pro Ethnico & Publicano haberi à vobis non posse. Præterea si generale Concilium haberi non potest, me à nationali (vt faciliùs expediantur omnia) non abhorrere: quam viam sæpe in hoc regno meminimus de iudicio consilioq; vestro obseruari. Quòd si præter postulatum meum, contra omnem Ecclesiæ ordinem, proscriptionibus, cædibus, durissimisque aliis & planè barbaris modis ampliùs agitur; me constitui defensionem iustissimam enormibus istis proscriptionibus violentiæq; objicere: maledictionem verò in eos esse ruituram qui falso Ecclesiæ prætextu huic regno turbas attulerint. Vos autem mihi appello testes æquissimarum conditionum quas offero omnibus, & imposui mihi: Deum verò defensorē, qui pro æquitate causæ meæ experturus est in aduersarios meos: & quæ oro, Domini, dignetur vobis esse gratosus. Ex Marano monte, decimo Octobris 1585.

Vester studiosus amicus & certus,
Henricus.

Ad Re.

AD REGEM,
LITERAE DOMINI PLES-
SIACI, DE PACIFICATIONE MO-

TVVM QVIBVS HOC TEMPORE IN

festatur Gallia, anno 1585.



EDERVNT olim operam, ô Rex, sum-
mi quique Duces, Reges, & Impera-
tores, vt de nomine regionũ à se par-
tarum dicerentur: vnde fuerunt Africani,
Asiatici, & similium appellatio-
nes ductæ. Maiores tui, quibus amplif-
sima non deerant à rebus partis argumenta, de quorũ
nomine in posteritatem insignes haberentur, sibi de-
legerunt, & tibi hæreditario iure contulerunt cogno-
men Christianissimi, vt omnibus ostenderẽt hunc ve-
rum hominibus honorem esse, quòd veri Christiani
sint: hũc verum triumphum Principibus quos homi-
nibus præfecit Deus, quòd religionem Christianam
defendant atque promoueant.

Iis itaque, ô Rex, assentior qui hunc Maieitati tuæ
finem & scopum obuersari dicunt oportere, vt Eccle-
siæ restituas vnionem: opus tibi proprium, & ita adhæ-
rens coronæ tuæ, vt te perinde huius operis æmulum
ac regni tui esse cõueniat. De modis qui ad hoc opus
efficiendum pertinent, fieri potest vt aliqua in re sen-
tiamus aliud: superius autem est iudicium Maiestatis
tuæ, vt id quod magis conducit eligat. Agitur de re-
dintegrandâ armis Ecclesia. Quis autem de inutili ar-
morum conatu ad religionis causam meliùs iudicet,
B iij quàm

quàm Maiestas tua? qui tanta felicitate arma in eos
mouēs quorum euersio modis omnibus procuratur,
vnicum hunc tandem fructum percepisti, quòd iam
agnoueris ne felicissimos quidem successus bene in
conscientias hominum succedere? neque magis ar-
ma in animas posse, quàm vnius chirurgi nouaculam
in humanam mentem & eas quibus agitur volunta-
tes?

Remedijs, ô Rex, sua debet esse proportio, suus cõ-
mensus & analogia cum morbis & malis. Vis à natura
in corpus est efficax, in aurem sonus, in animam ra-
tio. Adhibeatur in animas vis: hæc non plus in eas,
quàm in aurem ratio, in massam corporis sonus, effe-
ctura est. Hic ergo modus est non Ecclesiam adu-
nandi, sed regnum totum euertendi; non attrahendi
atque conuertendi, sed funditus subruendi. Cumque
à natura ita sit comparatum, vt nulla res alteri inferre
possit quin eadem patiatur malum, partis vnius euer-
sio fermè redimitur euersione alterius: & eorum ex-
cidium qui à religione sunt (vtcumque spes sit com-
modè successurum) confusio ac desolatio Reipub.
totius futura est. Summi illi catholici, ô Rex, qui
vim tibi afferre voluerunt vt facias vim subditis, qui
armata vi postulauerunt à maiestate tua vt subditos
per violentiam ad Ecclesiam Rom. reduceret; illi er-
go possunt ne, obsecro, plus aut virium, aut euentus
commodi sperare sibi, quàm consequuta est Maiestas
tua? Copijs tuis præfuerunt animatis voluntate tua,
tua felicitate ductis, tua denique præsentia auctis: at-
que hanc præsentiam tuam ego quidem iudicauerim
instar

instar maximè partis esse firmi exercitus. Quòd si voluntas illa non aderit (vt certè adesse non potest) equis auctoritatem non sentiat esse imminutam? quis extinctas esse voluntates non animaduertat quæ ab ea pendere solent? Imprimis autem quando non potest Maiestas tua inter arma ipsorum in tuto agere, quis nō videat manifestissimè hoc corpus, hunc quavis magnum firmumque exercitum, paulatim in partes diffuxurum esse, si neque respectu maiestatis tuæ retineatur, neq; compescatur præsentia eius? Id quidem naturale est vt filius à patre perferat, & quamuis à se ius stare putet, ipsi tamen satis est si ab ictibus sese queat obtegere manumque obijcere, aut ab ira illius subducere. Quòd si famulus aut extraneus quisquam hoc instituerit, indignatur filius atq; insolescit: animos & vires recipit, quas ex reuerentia patris deposuerat, & indignatione congeminat. Atque hic quidem, ô Rex, euentus ille est quem naturaliter opus est expectari à viro Principe primario familiæ tuæ, quem homines exteri de familia tua procurant deturbari: & à multis naturalium subditorum tuorum millibus educatis sub alis & suavi imperio tuo, quos per te exterminari cupiunt, vt sibi de nouis sedibus cogantur prospicere. Quæ desperatio (vt complectar paucis) adeò grauis est, vt indignitatem rei fortasse indignationemq; nos docere possit, ac proinde consilia extrema obtrudere, quæ ista fortè desperatio in nobis esset productura.

Architectis olim, si quando leuiores sumtus fore prædicabant vt hominem ad instituendam ædificationem

tionem perducerent, graues multæ imponebantur
legibus: quamuis hoc fieret ædificiorũ causa, ex quibus
maior commoditas ad dominum, honor verò ad
Rempub. pertinet. Quod supplicium, ò Rex, in eos
futurum est satis, qui vt animum tuum permoueant
ad subuersionem regni, confirmare nõ dubitant rem
esse factu facilimam: rem, inquam, ex qua damnum
tibi, nobis calamitas, his autem solis emolumentum
potest obtingere? Hic igitur id videri opus est, vt
adunemus, non vt dissipemus atq; subruamus. Quæ
aguntur, vetera sunt mala: veterum malorum reme-
dia veteres nouerunt probè: atque hæc quidem sunt
omnium tutissima: neque est cur confugiamus ad il-
la Empiricorum escharotica & corrodentia pharma-
ca, quibus nihil nisi sanguine, cædibus, luctu, funeri-
bus, fletu Galliam opleuerunt: & malum tamen in
quod invehuntur, illa ipsa, inquam, diuisio de qua vi-
dentur conqueri, miserius quàm antè affecta est.
Ecclesiam priscam dissensiones in religionis causa in-
festarunt: complures in populo hæreses obtinuerunt:
etiam Imperatores ipsos inuaserunt. Quid tum Ec-
clesia? quid optimi Cæsares custodes Ecclesiæ? plenæ
sunt historiæ. Hæresim esse opinionem animaduer-
terunt: omnis autem opinionis sedem agere in capi-
te, ibi falsam rationis imaginem vmbraque reside-
re, quæ non nisi ratione præsentem deleri possit. Cons-
cilia itaque conuocauerunt: iustum hominum ido-
neorum numerum omni ex parte accersuerunt: sin-
guli, siquid sciebant, in commune illud contulerunt:
sic tandem cessit opinio scientiæ, vmbra luci, verifi-
mille

mile veritati, & rationi captio.

Ne putemus, ô Rex, sic demersam in obscuro Christianam religionem esse, vt declarari in Concilio non possit veritas. Hæc habet axiomata certissima, principia statuta, inuictas consequentias. Illa ipsa ratio quæ in legibus res soluit difficiles, eadem potest in Theologia soluere: id quæ eo melius, ô Rex, quod lex sit Dei vnici, qui nihil contrarium suscipit, aut vllam fert antinomiam; cùm humanæ leges aliæ alias euertant plurimum, siue autoribus legum inter ipsos minimè cõueniat, siue à seipso idem dissentiat. Denique grauem huic legi, quæ lux vera dicitur, iniuriam facit, quisquis credit præluere eam homini non posse, eumque augere luce: grauiorem facit, qui eam lucere sine igne non posse contendit, & illos homines qui in tenebris dicuntur esse igni tradi potius oportere quàm ipsos ad lucem pertrahi, aut latentem lucem è medio eximi. Id fortasse tibi, ô Rex, adducturi sunt quidam, nõ esse Concilio opus, omnino Ecclesiam sequendam esse, hanc enim errare non posse. Ad hæc dicta responsiones plurimas libri suppeditant. Testamentum vetus & nouum abundat exemplis turpissimorum errorum, qui Dei populum inuaserunt: atque hæc tamen erat Ecclesia. Concilium Hierosolymis Christum & Apostolos condemnauit: condemnauit igitur Ecclesia salutem suam. Prædixit etiam Paulus nos visuros Antichristum sedentem in templo Dei. quid ergo Antichristum? perditionem certè in Ecclesia adoratam. Hæc verò argutiæ sunt ad fugiendum Concilium comparatæ. Homo tenebrosus est: Ecclesia autem cœtus

C est

est hominum: Ecclesia igitur opacum est & tenebro-
sum corpus; neq; luminosum, nisi à Deo, quatenus in
verbo eius capit lucem: hinc si abduxeris, singulis mo-
mētis potest offendere. Quamobrem Patres legimus
suo quemque seculo reformationem maximo studio
& vehementibus suspirijs expetiuisse; & Basiliensi Cō-
cilio placuit, vt decimo quoque anno Concilium ha-
beatur ad amoliendos errores qui in Ecclesiam pos-
sent irrepere. Hīc autem regeritur, iam Concilium
vnum fuisse habitum contra hanc ipsam doctrinam
quæ agitur. Esto sanè: at pręproperè segnescent bene-
faciendo, si qui vno hoc satis habuerint. Non vsque
adeò velociter prisca illi Patres defessi erant, quando
cum erroribus suorum temporum pugnauerunt: ne
in Arianos quidem, quamuis per disputationes sin-
gulas auditos, & maxima cum libertate, & Concilijs
tribus prouocatos, quartum habere Concilium recu-
sarunt. Enimuerò si tædiosum est remedia eadem re-
peti, quāto magis, ò Rex, ad bellum regredi frustrā iā
toties vsurpatum? cuius belli successus quamuis feli-
cissimi plus periculi & damni afferunt, quàm succes-
sus Conciliorum etiam infelicissimi? Quanto lauda-
bilis futurum esset, obsecro, Concilium conuocari,
quàm subiri aleam prælij? & congressum communi-
cationem que sermonum abire infructuosam, quàm
frustra fundi sanguinem? Atque id quidem verum
est, in hac ipsa causa quæ agitur Concilia duo fuisse
habita. Horum vnum fuit Constantiæ, studio Impera-
toris Sigismundi habitum: vbi Ioannes Hus & Hiero-
nymus Pragensis, qui in contrariam partem disputa-
bant,

bant, exusti fuerunt viui cōtra fidem publicam; & de-
cretum pōst consequutum est, ne fides seruetur here-
ticis: portentosum decretum, & malorum omnium
ac concussionum quæ ex eo tempore Christiano orbi
contigerunt, seminarium. Alterum fuit Tridenti, quū
Gallia ferueret motibus, in quo de Constantiensis il-
lius decreti sententia non fuit tutum comparere: in
quo legatio tua, ò Rex, non fuit audita, neq; acceptæ
Christianæ propositiones illius ad tranquillitatem
Ecclesiæ pertinentes: in quo de nullitate contra acta
ipsius Concilij protestati sunt legati tui: quod deniq;
postea ab omnibus supremis Parlamentorum Curijs
reiectum est, adeo que à Sorbona ipsa, vtcumque o-
mnium animos Pontifex sollicitauerit. Iudicet ergo
Maiestas tua, ò Rex, quàm graui occasione possint i-
storum Conciliorum præiudicata adducere. Iudicet,
istane Concilia duo spem nobis debeāt illius fructus
præripere, quem liberum legitimumque Concilium
vnum tua autoritate esset allaturum.

Vnicus hîc nodus est, quòd conuertit ad se & rapu-
it Pontifex ante aliquot secula autoritatem cogen-
dorum Conciliorum, quæ ad Imperatores solebat
pertinere, prout ab his Concilia celeberrima conuo-
cata fuisse constat. Et quia sibi metuit ab eorum ab-
usum reformatione qui in Curia Romana obtinēt,
maximè verò ab illa quæstione adeò controuersa, v-
trùm Pontifex superior sit Concilij necne, de qua
exstant decreta repugnantia: certo certius est ipsum,
quoad eius fieri poterit, refugiturum esse conuoca-
tionem: præsertim si quam Gallicana Ecclesia procu-
rauerit

rauerit, quæ Pontificem inferiorem esse Concilij defendit semper constantissimè. Hæc ita se habere demonstrat Constantiensis Concilij ratio: quod ut cogeretur, Sigismundus Cæsar necesse habuit vacare ditionibus varijs obeundis, ut eò Principes singulos adduceret, quòd sese in Concilio sistere Pontifices competitorum & contendentes renuerent: vbi tãdem fuit constitutum, Pontificem subiici Concilij oportere. Postea verò ut Tridètinum istud cogeretur, notum est quas protestationes oportuerit præcurrere, quibus artibus apud Principes Christianos sit vsus Põtifex ut se eximeret, quãtis molestijs cõtineri id simul potuerit ex quo conuenerat, & quæ monopolia exercuerint Pontifices, ut id Ecclesiæ inutile, sibi solis utile efficerent: Quam rem ut facilius assequerentur, concludi in isto curauerunt Concilij superiorem esse Pontificem, contra quàm altero illo fuerat constitutum.

Hic igitur potior futura est causa Maiestatis tuæ, & Põtifex os obstruxerit, ne porro instare ausit ad subuersionem regni tui, quum legitimas omnes vias renuerit adunandæ & redintegrandæ Ecclesiæ. Quintiam, ô Rex, in tantis regni tui difficultatibus tantãq; destitutione Pontificis, maiores tui Reges, de consilio cleri tui ac Sorbonæ tuæ, optimum iter iam olim constrauerunt: nempe ut, siquidem generale haberi non potest, nationale conuoces in hoc regno autoritate tua. Quam rem summo Ecclesiæ regniq; bono Christianissimi Reges perfecerunt, ijq; inter Christianissimos omnium sanctissimi. Atq; hæc nationalia

tionalia Concilia bene constituta, quando Principum nostrorum zelo fuerunt habita, saepenumero praestiterunt vniuersalibus, quae artes, factiones, & monopolia Romana sollicitauerant. Testis est historia: Si expectaueris, o Rex, dum prospiciat Pontifex, serius fortasse futurum est: iam enim conflamat regnum tuum, & hanc rem vrgeri hoc tempore tam tempestiuum est quam quum maximè.

Si quis autem dixerit, o Rex, infructuosum hunc conuentum fore; in his contentionibus futurum ut nemo velit rationi cedere, vel causa gloriolae suae; singulos daturus operam ut contentione summa defendant partes suas: alioqui de iudiciis non facile conueniri posse, & alia huiusmodi, in quibus non inferior grauem difficultatem existere. Huic responsurus sum, o Rex, Deum sancto zelo ardentissimoque studio Maiestatis tuae de tot animarum pace benedicturum esse, suspiriaque & clamores exauditurum tot gentium, quae bonum & tranquillitatem suam expectabunt ex hac congregatione: & non frustra dixisse Deum per Prophetam suum, nunquam sine fructu pluiam de caelo in terram decidere, nunquam sine spectato aliquo effectu sanctum verbum ipsius. Quod si res eò tandem prouehuntur, spondere, o Rex, non dubitauerim, me certa capita expositurum Maiestati tuae de quibus vtrinque partes inter se consentiant, & ex quibus omnes homines qui vti ratione volent ac non se ipsos circumscribere, facile veritatem à mendacio, doctrinam falsam à vera queant discernere. Si maculis purgatus fuerit, o Rex, oculus rationis no-

stra, eum pro certo statue visurum esse agniturumque
veritatem. Nam prælucebit veritas, quæ satis est à na-
tura clara ut spectandam seipsam præbeat. Solùm id
faxit Dominus ut animi nostri perturbationes in
ipso limine deponamus, eoque congregiamur pleni
desiderio videndæ & consequendæ veritatis, & ab o-
mni priuato studio, præterquàm animarum nostra-
rum, vacui.

Nónne reputas, ô Rex, quanta tibi animi requies
in hac vita, quantus honos in posteritatem esset, si
dum adhuc superes, sapientia aut exemplo tuo inua-
lescens tot annos schisma componeres? si faceres
ut in toto Christiano orbe canatur Angelorum car-
men, Gloria sit in cœlis, pax in terra? si in hoc officio
Pontifices, Cæsares, & Catholicos Reges anteuerte-
res? si denique ipsos maiores tuos Christianissimos
superares, te verè Christianissimum Gallia, Christia-
num toti Ecclesiæ exhibendo?

Deum appello testem me tibi ex animo scribere:
hoc procuro, ô Rex, ut videam Ecclesiam expurga-
tam memoria nostra, ut templum tersum versumque
videam, ut omnes vnà possimus conuersari. Assenti-
untur omnes, idque iam diu, abusus inter nos obti-
nere. Quin purgantur ergo? ne oppugnemus nos
ipsos, ne argutemur malo nostro, ne ostendemus sci-
entiam nostram in depellenda salute nostra.

Interea dum hoc tantum bonum expectatur à Ma-
iestate tua, feramus alij alios leniter, sinamus regnare
tua edicta pacis, tranquillas sinamus conscientias.
Qui tibi, ô Rex, id dant consilij, ut siue ad tempus, siue
omnino

Omniño interdicas animarum exercitio, nõ magnos
pere sensu affici commonstrant suas, cùm alios posse
putant sine religione & cibo vitam transigere. Qui ve
rò id esse alijs factu facile arbitrantur, vt secus Deum
colant quàm docent ipsorum conscientia, ij osten
dunt euidentissimè hac ipsa lege quam ferunt alijs,
quales ipsi sint; puta contemptores Dei, religione va
cui expertes conscientia.

Tua Maiestas, ò Rex, excusatura est hanc audaciam
meam. In maximis periculis viri maximi voces
minimas minimè neglexerunt. Vox canis vnici mul
tas domos à cæde conseruauit: anserinus clangor sa
luti esse potuit Capitolio. Me ab arrogancia officium
atq; periculum vindicatura sunt: Nam in periculo cri
minosum esset mihi tacere periculum, Præsertim
cùm periculum ad eò sit euidens, vt manifesti sit doli
reus qui hoc non videre se simulauerit.

Deum creatorem oro supplex, ò Rex, vt adsit Ma
iestati tuæ Spiritu sancto suo, & cum tibi consiliari
um ducemq; donet, faciatque tibi hanc gratiam, vt
post tot labores videre possis regnum suum in tuo
florentissimum, & tuum in suo prosperrimum ad glo
riam suam, ò Rex, laudemq; tuam, & quietem populi
tui. Amen.

*Tuus humilimus, obsequentissimus
seruus & subditus*

P L E S S I A C Y S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be written in a historical script, possibly Latin or German.



AB: 154369


ULB Halle
002 491 087


3



TA → OL







Æ LITERÆ
RENI REGIS,
S PRÆSENTIVM
T DE RATIONE COM
*iusa q̄, pacis constituenda in
regno Gallia:*

VNÆ,
EMAM PARIS I.
: Alteræ, ad Theologos
æ Parisiensis scriptæ.

Item
PHILIPPI MOR
*de eodem argumento data ad
Regem Gallia.*



LXXXVI.

